



**Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorijs
III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV.,
Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt& reges
Francorum, Carolvm Martellvm, ...**

Gretser, Jacob

[München], 1613

Jtem exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum Regem directa, pro
defensione sanctæ Dei Ecclesiæ, & de conlocutione cum Desiderio Rege in
vrbe Rauenna. XXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

*Item exemplar Epistola eiusdem Papae, ad
Domnum Regem directa, pro defensione sanctae Dei Ec-
clesiae, & de conlocutione cum Desiderio Re-
ge in urbe Rauenna.*

XXXIII.

*Summ. 2.
Bar. 6
Cent.*




OMNO excellentissimo filio & nostro spiri-
tali Compatri Pippino Regi Francorum, &
Patricio Romanorum, Paulus Papa. Dum
tanto vestrae sublimissime excellentiae beneficio &
impenso opitulationis amminiculo sancta spiritualis
mater, & peculiaris vestra vniuersalis Dei Ecclesia di-
noscitur releuata, quae humana lingua sufficere valeat
ad huius bona vestrae operationis merita gratiarum
referre actiones? & licet in hoc humanae consideratio-
nis capacitas rependere nequeat; veruntamen ille,
qui potens est omnipotens, & inuisibilis Dominus
Deus noster; cuius ordinatione vestra regalis potentia
confirmata consistit, interuentionibus sacris prin-
cipis Apostolorum B. Petri, dignam vobis remunera-
tionem in praesenti vita * beatitudine retribuet: Prae-
sertim dum & fortissimus suae orthodoxae fidei, & ve-
nerabilium patrum pia traditionis defensor esse vi-
deris, excellentissime fili, & spiritualis Compater, & ob
hoc ipsam, quam veneranter colis, & defendere stu-
des orthodoxam fidem, semper habebis adiutricem,
& profecto coelestis tibi contra aduersantium cuneos
administrabitur victoria.

** Esutura*

Interea quia magno amoris affectu circa vestram
à Deo protectam eximiam Excellentiam feruescimus,
debitum visitationis & salutationis gnauiter procura-
uimus sublimitati vestrae persolvere, eximie fili & spi-
ritalis

ritalis Compater. Hoc interea vestram meminisse volumus Excellentiam: nuper nobis direxisse, quatenus in pacis dilectione cum Desiderio Langobardorum Rege conuersari studeamus. Quod quidem si ipse excellentissimus vir, in vera dilectione & fide, quam vestræ Excellentiæ, & sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ spondit, permanserit, utiq; & nos in charitate firma, & stabili pace cum eo permansuri erimus, obseruantes illud Dominicæ præceptionis documentum: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Hoc itaque innotescimus Christianissime eximietati vestræ, eò quòd conuenit inter nos, & eundem Langobardorum regem vt pariter nos, in Rauennatum vrbe præsentare studeamus ad perficiendas quasdam utilitates spiritualis matris vestræ sanctæ nostræ Ecclesiæ, & pertractandum pro Græcorum malicia, qui cotidie imminet in ipsam Rauennam ingredi ciuitatem. Dumque pariter præsentati quicquid collocuti fuerimus, vel rei exegerit meritum, excellentissimæ & à DEO protectæ eximietati vestræ innotescemus: Orantes de reliquo diuinam clementiam, vt ad perfectam exaltationem sanctæ Dei Ecclesiæ & orthodoxæ fidei defensionem, & in suis & prosperis temporibus excellentissimam Christianitatem vestrâ in folio regalis potentæ, cum dulcissima coniuge, excellentissima Regina, spiritali nostra Commatre, atq; amantissimis natis conseruare, & protegere dignetur, tribuens vobis & æterna cœlestis patriæ gaudia possidenda. Incolumem Excellentiam vestram gratia superna custodiat.



V

Item